

**Dissertatio medica inauguralis, de viribus argenti vivi : quam, annuente Deo opt. max. ex auctoritate magnifici Rectoris, D. Hermanni Boerhaave ... / eruditorum examini subjicit Guilielmus Hallett.**

**Contributors**

Hallett, William.  
Boerhaave, Herman, 1668-1738.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Johan. Arnold. Langerack, 1714.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pbbxhvee>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

W. Hougen  
22

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
D: E

VIRIBUS ARGENTI VIVI.

QUAM,  
ANNUENTE DEO OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. HERMANNI BOERHAAVE,  
A. L. M. PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS, HU-  
JUSQUE ET BOTANICES IN ACADEMIA LUGDUNO-  
BATAVA PROFESSORIS ORDINARIII,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Nobilissimae Fa-  
cultatis MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

GUILIELMUS HALLETT, *Anglo-Britannus.*

*Ad diem 17. Augusti 1714. horâ locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM.

Apud JOHAN. ARNOLD. LANGERACK, 1714.

ORNATISSIMO

VIRO.

D. D. THOMÆ JEFFERY,

Armigero;

Mercatori prudentissimo; morum ac  
vitæ probitate insigni; humanitate,  
pietate & liberalitate eximio; Doctrinâ  
ac optimarum artium studio instru-  
cto; Academiæ Lugduno-Batavæ  
quondam Alumno; omni gratitu-  
dine.

*Hæc Theses Inaugurales.*

D. D. D.

Auctor. JOHANNES RICHARDUS LANGERACK, 1714.



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

VIRIBUS ARGENTI VIVI.

§. 1.



**N**ter morbos innumeros, qui hucusque genus humanum excruciat, mortique tandem tradidit, si qui a Naturæ solo languore, & non evitanda impotentia, ortum ducunt, paucissimi sunt & vix notandi. Hanc ob causam *Celsus* de morbis sui temporis jure merito conqueritur, *Desidia atque luxuria hac duo, corpora prius in Graciâ, deinde apud nos affligerunt; ideoque multiplex illa Medicina, neque olim neque apud alias Gentes necessaria, vix aliquot ex nobis ad senectutis principia perducit.*

§. 2.

Hominum effrænatae Libidines 250 abhinc annis, si non fuerint causa & origo undè invaserit, certissimum tamen est, Propagationis diræ Auctores fuisse Contagionis, quæ non solum ab omni *Ævo* his in Regionibus prorsus inaudita est, verùm multis numeris aliam ferè omnem Antiquitati notam superat.

A 2

§. 3.

## §. 3.

Hicce morbus, de quo Sermo est, non, uti putari possiet, raro & insolenter occurrit, verum per totum Orbem cognitum pervagatus est, dico *Luem Veneream*. Huic Natura Medicamentis non adjuncta semper victas dat manus; Corpora robustissima & maximè vegeta solis suis viribus Venenum hoc exceptum nunquam excutiunt. Morbus est, si jam inveteraverit tam horrendus, tam atrox, tam truculentis dirisque stipatus Symptomatibus, ut inter Chronicos saltem pessimus habeatur. Et quod Malum hoc magis adhuc tetrum ostendit, uni solo Remedio, hisce saltem in Regionibus, cedit.

## §. 4.

Undè tamen sit, quod antiqui *Græci* Remedium adeò efficax, quod Morbum tam ferum expugnare potest, inter pessima Venena recensuerint, non facilè perspicitur. Qui legisset saltem quænam *Aëius*, *Aëineta*, *Actuarius* & *Dioscorides* ipse (cujus Verba Scriptores tres jam memorati descripsisse videntur) de perniciosis *Argenti Vivi* assumpti Effectibus, habent, vix facilè putaret aptum esse ad prædictum Morbum tam feliciter medendum, multò minùs quod in quamplurimis aliis Morbis tanta perageret, ut pro Anchorâ sacra haberetur. Audiamus tamen verba *Dioscoridis* in suis *Alexipharm. cap. 28.* Ἰδράργυρος δὲ ποθεῖται, τὰ αὐτὰ ἐπιφέρει τῇ λιθαργύρῳ ἢ ἐπὶ τῶν δὲ τοῖς αὐτοῖς βοηθήμασι χρῆσθαι. δοκεῖ δὲ αὐτῶν ὠφελεῖν γάλα πολὺ πινόμενον, ἐμείτωσαν δὲ ἢ ἕτοι. Quæ reperiuntur etiam apud *Aëinotam de Re Medicâ lib. 5. cap. 64.* *Dioscorides* iterum in libro suo de *Mat. Med. 510 cap. 110.* de *Hydrargyro* asserit; Δύναμιν δὲ ἔχει φαρτικὴν ποθεῖται, τῷ βάρει *Δαβιβρώσκησα* τὰ ἐντὸς βοηθεῖται δὲ γάλακτι πολλῷ πινόμενῳ ἢ ἐξεμμένῳ &c. *Galenus* & *Plinius* in eadem fuere sententiâ. Verisimile est admodum Scriptores hos nihil de *Argenti Vivi Viribus* cognovisse, nulla cum eo Experimenta cepisse, imò *Dioscoridi* ipsi vix visum esse; alio enim in loco dicit, *Argentum Vivum* in *Vasis Plumbeis*, *Stanneis*, vel *Argenteis* fervari debere, quoniam aliam omnem Materiam erodit & diffluere cogit; cum interim vix detur ulla Materia, quam *Argentum Vivum* æquè facilè, ac jam memorata solvit.

§. 5.

Antiqui *Græci* etsi hoc Metallum a Medicinâ omnes excludebant, *Arabes* tamen (quanquam multis numeris illis postponendi sint) melius tandem edocti, nobilis hujus Pharmaci Effectus benignos detexere. Et revera si Medico deesset solum hoc Remedium, vix inter reliqua inveniantur quæ Damnum resarcirent. Summa ejus Utilitas in hodiernâ Medicinâ Dignitatem ei tantam conciliavit, ut non abs re fore arbitrer de *Usu & Effectibus Hydrargyri* paucis disserere.

§. 6.

Variis sub Formis e Terrâ effoditur. Magnâ hodiè copiâ in quibusdam *Italiae* Tractibus, in *Hungariâ*, *Poloniâ*, aliisque locis assurgit ejus Vena, quæ lapideæ plerumque est Duritiei, Coloris quasi Hepatis instar *Croci Metallorum*: *Cinnabaris nativi* nomen accepit. In iisdem etiam Fodinis reperiuntur sæpè *Pyrites* & *Marcasita* ponderosiores in quibus Argentum Vivum latet copiosum. Aliquando Terræ molli admistum habetur, in quâ Argenti Vivi apparent Particulæ interpunctæ, Terra illa per varia Cibra sæpius Aquâ abluitur, contunditur tunc iterumque abluitur, atquè hoc modo obtinetur *Mercurius purus*; qui etiam ex Terrâ spontè fluens aliquandò colligitur; uterque nominatur a Metallurgis *Mercurius Virgineus*, à *Plinio Argentum Vivum*. Terra hæc benè lota Retortis ferreis inditur, & forti Igne Mercurii Residuum in Excipula ampla profluit. Eodem Artificio, Lotione autem non adhibitâ, Mercurius e Cinnabari Lapidibusque quibus inest, elicitur. Hic est *Mercurius Factitius*, qui a *Plinio Hydrargyrum* appellatur: hic autem priori illo *Nativo* minus æstimatur. Et methodo non admodum indè abludente ab aliis immistis seperari & purgari potest. Sic si Acido vel Sulphuri adhæreat & cum Alkali fixo teratur, dein per Retortam destillet, Acido vel Sulphure in Alkali absorpto reddetur Mercurius vivus: Si Metallis vel Terræ admistus sit, solo Igne Calore in Fumos abit.

§. 7.

Modus huic quàm simillimus Argenti vivi eruendi *Plinio* non ignotus est: In *Historiâ suâ Naturali* hæc habet; *lib. 33. cap. 7.* Est alterum genus [Minii] quod fit exusto Lapide Venis permisto,

non ex illo cujus *Argentum Vivum Vomicam* appellavimus, sed ex aliis simul repertis. Et cap. 8. Ex hoc autem secundario Minio invenit *Vita & Hydrargyrum*, in vicem *Argenti Vivi*; fit autem duobus modis, areis *Mortariis Pistillisque* trito Minio ex *Aceto*, aut *Patinis* fictilibus impositum, ferreâ *Conchâ*, *Calice* coopertum, *Argillâ* superillitâ; dein sub *Patinis* accenso *Follibus* continuo *Igni*, atque ita *Calicis* *Sudore* deterso, qui fit *Argenti Colore & Aqua Liguore*. *Dioscorides* etiam lib. 5. cap. 110. scribit, Ἰδρᾶργυρῶ δὲ σκευάζεται ἀπὸ τῶν ἀμμῶν λεγομένων, καταχρηστικῶς δὲ καὶ τῆς Κινναβαρέως λεγομένης. Θέντες γὰρ ἐπὶ λεπὰδῶν κεραιμέας κίγχων σιδηρῶν ἔχοντα Κιννάβαρι, περικαθάπτουσιν ἀμβικὰ περιλαίψαντες πηλῶ, εἶτα ὑποκαίουσιν ἀνθεραξίν. ἢ γὰρ περιτίξουσα τῶν ἀμβικῶν αἰθάλη ἀποζεσθῆσα καὶ ἀποψυχθεῖσα, Ἰδρᾶργυρῶ γίνεται. εὐρίσκεται δὲ καὶ ἐν τῶν μεταλλεύεσθαι τὸν ἀργυρον ἐν ταῖς σέγαις καὶ σαλαγμῶς συνεσῶσα. Ex modò allegatis fatis luculenter apparet, *Argentum Vivum Antiquorum* idem planè cum nostro fuisse; hincque in omnibus quoad *Vires Medicamentorum*, *Scriptoribus* istis *Fides* non semper est habenda.

## §. 8.

*Avicenna* primus, quantum novimus, *Argentum Vivum* innoxium esse asseruit, in ejus *Canon. in Med. lib. 4. fen. 6. Argentum Vivum plurimi qui bibunt non leduntur eo*, egreditur enim cum *dispositione suâ* (i. e. *Pondere*) per *inferiorem Regionem*. Tàm egregii *Viri* *Auctoritate* ducti, ad *Uncias* plures imò ad unam vel alteram *Libram* assumere multi sunt ausi, non insperato cum *Successu*, postea etiam ad *Vermes* necandos *minori copiâ* nullo indè *superveniente incommodo* *Infantibus* ipsis fuit adhibitum. *Ufus* ejus *externus Arabibus* primò tribuitur, qui *Unguenti Mercurialis* ad *Lepram* vel *Scabiem* *Virtutes* prædicabant. Deindè in *Italiâ* quidam in *Morbo novo* faciem similem præ se ferente *Vires* ejus sunt experti. *Historiam* habemus apud *Fallopium* in libro suo de *Morbo Gallico*, cap. 76. *Cum cæperit in Italiâ grassari Morbus*, *Chirurgici* qui nitebantur *omnem lapidem movere*, cum legissent *Hydrargyron* nimium valere ad *Scabiem rebellem*, cumque primis temporibus *Lues* hac *Ulcerâ* afferret, experti sunt *Argentum Vivum*, & feliciter quidem, undè multi *Divites facti* sunt; inter quos *Jacobus* ille *Carpensis* (i. e. *Berengarius*) cum solus calleret *secretam* hanc *Medicinam*, ita opulentus *redditus* est solo illo *questu* ut &c.

## §. 9.

## §. 9.

Hujus Pharmaci Operationis in extirpandâ Lue Venereâ Modus, est Salivationem excitando: quomodo autem Sanguini permistum hoc efficiat, mihi nunc incumbit quærendum. Præmittenda verò sunt pauca de Sanguine nostro. Oculo Microscopio armato clarè satis apparet Sanguis recens missus ex Partibus diversi generis compositus, ex Sero pellucente & limpido, atque ex Particulis rubris Globulorum formam gerentibus, quæ Sero innant. Hi Globuli rubri in Corpore sano nisi in Venis & Arteriis nullibi observantur; Vasa Lymphatica, Glandulæ, Ductusque excretorii rubrum Sanguinem non admittunt: Vasculorum enim horum Oscula valdè angusta Globulis tantæ molis immutatâ suâ Figurâ aditum non permittunt. Atque huic inter alia inservire videntur Globuli Sanguinis rubri, ut Arteriæ & Venæ satis patulæ servarentur, & nè Corpus Humoribus suis levi de causâ exhauriretur. Si enim omnes Partes Liquidi in Venis & Arteriis contenti coüsque subtiles essent, ut per omnes Ductus excretorios transfudare potuissent, sine dubio vi Cordis & Vasorum saltèm majorum quâ se contrahere nituntur, totum ferè brevi e Corpore eliminaretur, & Corpus exsuccum omni Functioni redderetur ineptum.

## §. 10.

Argentum autem Vivum est Corpus fluidum, ponderosum, ad Auri Pondus proximè accedens, levi concussione dissipatur in Globulos, qui in alios itidem ad infinitum ferè minores dividi possunt, ad Calorem Aquæ ebullientis paulò majorem in Fumos avolat, omnibus ferè Metallis se immiscet, cum Acidis certis effervescit, & ab iis dissolvitur, omnis Saporis & Odoris expers. Si etiam Colorem ejus album purissimum seu argenteum una cum Pondere suo specifico expendimus, verisimile admodum videntur Particulas ejus tenuissimas iis Aquæ tenuitate vix cedere, hincque Sanguini facilius permisceri posse.

## §. 11.

Mercurius Sanguinem percurrens Pondere suo solo mira præstat. Notum est duo Corpora magnitudinis ejusdem varii tamen Ponderis vel Densitatis, eâdem Velocitate mota, Vires habere Motus ratione ad se mutuò ut sua Pondera vel Densitates.

Cum



Cùm igitur particula Argenti Vivi circitèr decem Cruoris Particulas ejusdem Magnitudinis Pondere æquat, una cum Sanguine delata, decies majori Vi Arteriarum Tunicas tundere debet, & decies majori Vi ab iis repelli. Hinc Mercurio Sanguini admisto, Pulsus affurget solito fortior, omnium Vasculorum & Glandularum dilatantur Ora, Motus intestinus Sanguinis major erit & validior, Particulæ ejus rubræ in tenuiores confringentur, omnium Humorum fiet Attritus & Attenuatio summa; & si in Vasis minoribus hæreat aliquod spissum, vi longè majori quàm Sanguinis alio quocunque Medicamento adjuti, discutietur.

§. 12. Cùm Sanguis hunc statum obtinuerit, subsequetur plerùmque Salivatio. Hoc dùm contingit, totus Sanguis Crasin suam priorem amisisse & in Liquorem subalbidum abiisse videtur. Quòd hoc perdurante statu Colorem suum rubrum exuit, & magnas in suâ Compage mutationes est passus, Pallor atquè Debilitas Ægrorum satis testantur.

§. 13. Globulis igitur rubris sanguineis sic comminutis & Sero ubique permistis, oritur liquor alienæ à nostro Sanguine indolis, Seroque spissior. Et quod Globuli rubri soluti Colorem suum deponunt *Leeuwenhoekius* testatur, qui per Microscopia sua vidit Globulum rubrum Sanguinis in sex Globulos pellucidos spontè abeuntem. Præterea Cruor ipse concretus solâ quiete in Serum resolvitur; omnes etiam Humores a Sanguine secreti Colorem rubrum deponunt, atque plerumque pellucunt.

§. 14. Itaque maxima pars Sanguinis convertitur in Liquorem, qui ad Salivæ vel Succu Pancreatici Spissitudinem quàm proximè accedit, ideoque secundùm Oeconomiam Animalis Leges per easdem Glandulas copiosissimè debet exspui: In aliis tamen quamplurimis hic Liquor speciem Salivæ non accipit. Quòd autem Salivationem comitetur Materiam rejectam Fœtor mirum non est, si summas interim Humorum Attritus & Perturbationes concitas consideremus. Notandum hic est, per utrasque Vias simul Mercurium agere non solere; uti enim ferè semper contingit, unâ Secretione auctâ omnes aliæ minuuntur. Hinc ut suborietur Salivatio, Alvus

Alvus priùs vel arte vel naturâ debet adstringi: Si etiam post exortum Ptyalismum aliqua fortè in Intestinis contingit Irritatio, eò statim ruit fluxus, reprimitur Salivatio, atquè Diarrhæa aut Dysenteria supervenit.

§. 15.

Argentum Vivum non solùm in Sanguine suos edit effectûs, sed & in intima Corporis Penetralia se insinuat, omnes Humores movet & deturbat, Pinguedinem ipsam solutam Sanguini permiscet & e Corpore tandèm educit. Glandulas omnes ingreditur, easque percurrit, & Pondere suo adjutum summoperè deterget; omnia deniquè movet, omnesque Secretiones quadantenus auget.

§. 16.

Suboriente Salivatione, Glandulæ salivales Humore dicto foetido replentur, intumescunt Gingivæ, vacillant Dentes & sæpè postea concidunt; Palatum, Lingua, totumque ferè Os tument, dolent, excoriantur & exulcerantur, quandoque etiam Sanguine diffluunt; exspuit Æger Liquorem tetrum, viscosum, magnâ copiâ: hæcque Salivatio plerumque producitur, donec Natura hoste suo se expedit.

§. 17.

Hoc modo sanatur *Lues Gallica*, quæ nascitur a quodam sui generis Veneno, quod, undecumque Corpori infertur, Sanguinem & præcipuè Lympham & Pinguedinem inquinat. Hoc Venenum non uti Pestis paucis diebus conficit Ægrum, verùm lento pede proserpit, Lympham corrumpens in Sanie mucosam, acrem, quæ ubicunque hæret rodit & inflammat. Hinc pro variis, quas occupat, partibus, Bubones illi, Pustulæ ulcerosæ per totam Cutim divagantes, Dolores Artuum nocturni, Ulcera foetida serpentia, Partium mollium Gangræna, Cartilaginum atquè Ossium Erosio & Caries, cum plurimis hujus satellitii Malis ortum ducunt. Salivatio autem totam ferè Lympham & Pinguedinem, cum fædâ illâ & viscosâ Sanie per Ductûs Salivales ejicit, quæ nullâ aliâ viâ æquè citò ac feliciter possunt educi.

§. 18.

Mercurio, uti dixi, *Arabes* olim usi sunt ad *Lepram*, quam sæpè deficientibus aliis Remediis tollit. Lepra est morbus Cutis,

B

qui

qui ab inquinato, a pravis & plerumque falinis Humoribus, Sanguine solet exoriri. Diæta sæpè inordinata ex Cibis Fumo induratis, aut Sale nimio conditis, aut Carnibus vel Piscibus rancidis, aut ex Fructibus austeris immaturis cum Potu simili, malam quandam *Algeriv* Sanguini inducit; Materiamque indè corruptam Sanguis sæpè in Cutim rejicit, ubi, cum nimis viscosa sit quàm ut exhalare possit, hæret, Pruritus excitat, serpit, Perspirationem impedit, assiduò accumulatur, crassescit indè Cutis, parte tenuissimâ avolante, exarescit reliqua & in squammis decidit. Hunc Morbum, quatenus Sanguinem optimè expurgat, omniaque Corporis Meatibus inhærescentia solvit & expellit, Mercurialis Salivatio tollit. Non tamen potest affirmari, hunc Morbum nunquam rediturum fore, recrudescere quidem potest post Salivationem diuturnam, si aliis Medicamentis adhibitis non reprimatur.

## §. 19.

Eadem Salivationis Methodo *Ulcer* quævis *κακοήθεια* perdomari solent; Mercurius enim eò perveniens aperit, deterget, attenuat, Ichoremque & Sordes cum aliis Humoribus permixtas expellit. *Scrophule* & *Struma*, cum nihil aliud sint quàm Glandularum quarundam Tumores a Materiâ crassâ obstructarum, dicto modo ablegari possunt. Sanguis Scorbutico inveterato Pustulis Ulceribusque comitato pænè obrutus, sæpè etiã a Mercurio Vires accipit, Sordesque suas excutere valet. Deniquè Cutis omni Foculo exindè repurgatur.

## §. 20.

Accidit aliquandò, imprimis Robustis, aut ubi parçâ admodum copiã in Venas Mercurius introivit, quòd nequè per Salivam nequè per Sedes sed fortè per Sudores vel per Urinam vel aliàs educitur. Hoc ideo fit, quoniam Sanguis non adeò resolvitur ac ubi Exeretiones jam dictæ subsequuntur. Interim tamen Morbi quamplurimi ei facile cedunt. Ut paucos memorem: primò *Scabiem* tollit. Scabies est nihil aliud nisi Liquorille, qui in Meatibus Cutis amphis cylindræ hæret, a Contagio plerumque concepto inspissatus, & in Saniem salsam conversus; qui cum ob Lentorem facile exhalare non potest, Epidermidem in Bullas vel Squammulas attollit; & quoniam leviter rodit, Pru-

ritum efficit. Simile quid post Urticæ Puncturam accidit: Liquor venenatus cuti et si minimâ copiâ instillatus, Pustulas parvas cum Pruritu, prout in Scabie suboriente, suscitât. Ichor Scabiosus in Sanguinem absorptus Humores depravat, atquè indè ulterius propagatur: Si in Cutim rejici non potest, vel ex indè malo more subito excutitur, Præcordia vel Cerebrum vel alia Viscera sæpenumerò petit, & graviora Mala inferre solet. Mercurius autèm quocunque modo adhibitus falsorum Humorum Lentorem solvit, eosque è Loculis suis expellit, nullo indè sæpè subsequente Incommodo.

Hâc ratione etiam ad *Ulcerâ & Tumores* applicatus, dum Corpus ingreditur omnia ei obvia propellens; discutit & sanat. *Scirrhos* ipsos recentes aliquandò resolvit, & dum per Sanguinem diffunditur omnes novas Concretiones prohibet: Et reverâ ultimum est in inveteratis plerisque Morbis Remedium.

Attamèn ex incauto vel nimio Mercurii usu, multa horrendaque Mala succedunt. Aut Salivatio citò nimis affurgit, aut nimiâ vi procedit, aut nimis diù producitur. Ubi nimis citò affurgit, Fauces maximus Tumor occupat, adeò ut Æger tantum non suffocetur: si nimiâ vi vel diutiùs æquo progreditur, exhauritur Corpus, Hecticâ Febri incalescit, & exsuccum ferè Tabes perit: aut Salivatione non ritè exortâ, Natura aliquando Hostem suum per Intestina conatur expellere; indè Diarrhæa supervenit, quæ brevi in Dysenteriam conversâ Mortem arcessit.

Prædicta Mala a Mercurii Usu quocunque nimio possunt concitari, sæpè tamen observatum fuit *Extrinsècus* adhibitum; omnia illa atquè adhuc plura pejoraque Symptomata, adferre posse. Ptyalissmus hoc modo excitatus, non æquè feliciter sedatur; quandoquidem Mercurius lentè, atquè per vices fortè, & sæpè majori quàm convenit copiâ, Sanguini admiscetur, tardo gressu se insinuans per Vasa exigua; adeoque Sanguinis Status morbosus in longum Tempus protrahitur. Prætereà inter Ossium Fibras sæpè penetrat, ibique per totam Vitam manet.

## §. 24.

Fieri potest & sæpè accidit, quòd a Mercurio extrinsecus per Cutim excepto nulla citetur, quæ notari potest, Evacuatio, quæ citò excuteretur: Si autèm diù in Sanguine restitet, cùm in Nutrimentum abire non possit, pellitur & movetur hinc indè in Vasa ipsa tenuissima. Si in Cerebrum rapiatur, & in Vasis ejus hæreat, in Systemate Nervoso turbas excitabit maximas; Caligines, Vertigines, Lipothymias, Convulsiones, Epilepsiam, Affectus soporosos, Apoplexiam & Mortem sæpissimè infert. Si autèm in Vasis tenuissimis tantâ Copiâ accumularetur, ut vi Fluidi præterlabentis discuti non posset; Nervis vicinis exindè compressis, Debilitas, Tremores, Paralyfes &c vario gradu nascerentur: quæ omnia Miseros istos, qui in Hydrargyri Fodinis operantur, invadunt; uti & omnes qui deaurandis Metallis, vel Vitris Argento vivo obducendis, diù sunt occupati.

## §. 25.

Aliquandò omnia ità laxat & debilitat, ità omnia Vasa aperit & Humores attenuat, ut quæ Nutritioni debuissent impendi, per Cutim vel per alias Vias abeant, Ægerque quantumcunque comedit vel bibit vix indè reficiatur, verùm brevi contabescat & concidat. Quanta & quàm diuturna Mala perpetrare potest si incautè usurpetur, exemplo sit D. Fuller, qui per multos annos innumerabilia, sine horrore vix legenda, passus est a Cingulo Mercuriali circa Lumbos diù gestato; ad calcem Libelli sui de *Medicinâ Gymnasticâ*, Anglico Sermone conscripti, Historia habetur.

## §. 26.

Si Argentum vivum Facultatem acrem habuisset vel adstringentiam, alia planè in Corpore nostro ageret. Hinc Chalybs etsi ponderosus sit, sub quacunque tamèn formâ detur, potenter adstringit, adeoque Cruorem non ità dissolvit ut Mercurius, nequè solidas Partes laxat, neque Pryalismum movet: Et fortè Vires suas emittit Chalybs præcipuas in primis Viis dum resolvitur, & Sanguinem nunquàm ingreditur nisi soluti formâ Vitrioli, quo Cruori recens extracto infuso, Cruor statim concrefcit. Indè credibile est Chalybem, ubi Sanguini Momentum addit, interim Partibus ejus Firmitatem quandam conciliare, ut

non

non eousque dissolvatur ut Color pereat, dum Cordis & Vasorum Pulsus & Repulsus fortiores accipit. Verum Mercurius, uti antea dixi, Cruorem dissolvit, Vasa relaxat, aperit & debilitat, non adstringit, non coagulat, & per se nunquam stimulat.

§. 27.

Argentum vivum in Medicinâ adhibetur vel Crudum vel Præparatum. Primò *Crudum*, aliisque non mistum, magnâ copiâ felici sæpè cum eventu in Morbo Iliaco bibit Æger, quandoquidem per Intestina pondere suo statim delabitur, omniaque ei obvia secum ducit, prætereà nihil efficit. Cum Saccharo etiam contritum, formâ Pulveris vel Pilulis Purgantibus adjectum, assumitur ad Lumbricos necandos; si autem sæpius sine Purgantibus detur, Salivationem plerùmque excitat; cum enim liquidum sit, & Humoribus nostris facilè permisceatur, unâ cum Chylo Lactea Vasa potest ingredi, si nempè diù satis in Intestinis moratur.

§. 28.

Mercurius Crudus Unguentis admiscetur, quibus illinitur Cutis, vel Emplastris quæ applicantur ad concitandam Salivationem, ad Morbos Cutis, Tumores resolvendos &c. Ubi Unguento probè miscetur & conteritur, in Partes tenues admodum divisus Corpori adhæret, atque ita per Meatus Cutis in Venas vicinas Vi quâdam absorbetur, & inde unâ cum Sanguine versus Cor progressus, in omnia Vasa ejicitur & per totum Corpus divagatur. Quidam tamèn prius cum Acido Liquore, vel cum Oleo subtiliori, ut Terebinthinæ, probè commiscent, ideòque credunt Venenum ejus extinctum iri; sic autem in Partes subtiliores tantùm dividitur Mercurius, & si aliquo modo quoad Vires mutatur, aliquantulùm Acrimonix acquirit.

§. 29.

Metallis omnibus dempto Ferro, uti dixi, adhæret, eaque dissolvit in Corpus molle quod *Amalgama* vocatur: Auri autem est maximè tenax. Hinc Argenti vivi Fossiores, uti etiam ii qui Unguentis Mercurialibus nimium fuere delibuti, si Auri frustum in ore aliquamdiù tenent, id albo colore tingetur; Mercurius è Salivâ ad Aurum, ut Ferrum ad Magnetem, trahitur. Atque hoc Artificio usi sunt aliqui, ut Mercurius è Corpore eliminaretur,

tur, Globulos aureos vel Foliis aureis tectos devorant, quæ alba redduntur. Amalgama Mercurii cum Auro ad Metalla deauranda adhibetur, & eo cum Stanno in Laminas redactæ obducunt Vitra ad Specula conficienda. Laminæ Plumbi Mercurio delibutæ Scirrhis impositæ, summum iis resolvendis præbent Remedium.

## §. 30.

Cum Floribus Sulphuris diù contritus, exhibet Pulverem nigrum *Aethiopen Mineralem* dictum, qui si per se ex Igne aperto sublimetur, abit in Massam rubram micantibus lineis referatam, quæ vocatur *Cinnabaris Factitia*. Horum Pulverem neuter quâcunque copiâ assumptus Salivationem excitat, adeoque in Lue Gallicâ nihil præstat. Uterque in Intestinis indissolubilis est, Mercurius a Sulphure extricare se non potest, ut Lactea Vasa ingrediatur: necat interim Vermes, blandèque per inferiora purgat. *Cinnabaris Nativa* eisdem habet Usûs & Effectus cum *Factitiâ*, & ex Argento vivo & Sulphure perindè constat. Illius uti & *Factitiæ* frequens usus laudatur a quibusdam summæ notæ Medicis ad *Epilepsiam*; eique saltèm speciei medetur, quæ a Lumbricis Intestina rodentibus nascitur, paritèr ac omnia Mercurialia. *Cinnabaris* in Carbones vivos injecti Vapor ore haustus, Salivationem summam ciet; verùm inconsulta admodum est illa Methodus, ob Fumos partim Argenti vivi partim Sulphuris, Æger Suffocatione periclitatur. Hinc tamèn patet Mercurii Particulas unâ cum Aère haustas in Pulmones, Vasa sua Sanguinea ingredi posse, cum Vapor ejus Tragœdiam eandem agit ac si Cuti fuisset illitus. Habetur etiam, ex Sulphure Antimonii Mercurio vivo conjuncto, *Cinnabaris* alia, quæ cum antè dictâ in omnibus convenit.

## §. 31.

Argentum vivum Salibus adhærescit variis, atque indè variæ nascuntur Substantiæ *Mercuriales* dictæ. Solvitur in Spiritu Nitri cum Calore & Sibilo, & Solutionis Liquore satis exhalante, concrefcit cum Particulis Menstrui Salinis in Chrystallinas Glebulas, seu *Vitriolum*, quod Causticum est violentissimum, quodque minimâ etsi Quantitate assumptum, citissimè & fortissimè, sursum deorsumque, & per Salivationem, agit.

## §. 32.

§. 32. Mercurius in Spiritu Nitri solutus, addito Sale Marino, in fundum dejicitur formâ Pulveris albi, qui Aquâ elotus dicitur *Præcipitatus albus*. Purgat fortiter, Vomitus movet, atquè omnia quæ Mercurius crudus efficit. Unguentis vel Emplastris admixtus & applicatus, Scabiem & Ulcera fanat; & si cautè usurpetur bonum est Cosmeticum. Dosi parcâ sæpiùs assumptus Salivationem ingentem suscitatur. Si Solutioni adderetur paululum Cupri, Præcipitatus pulvis viridem acciperet Colorem, & valentior adhuc fieret, nomenque obtineret *Lacerta viridis*.

§. 33. Ubi Solutio Mercurii in Spiritu Nitri exhalat, relinquit *Pulverem* in fundo, qui Majori vi Ignis Colorem induit *rubrum*. Color ille ruber Nitro debetur, quod Igni vehementi, ita ut non accendatur, impositum, Fumos semper rubros emittit. Omnia efficit eadem ac Præcipitatus albus, verum adhuc violentior est. Et quoniam summopere corrodit, ad Carnem fungosam consumendam, fordesque ex Ulceribus expurgandas adhibetur.

§. 34. Si Argentum Vivum in Oleo Vitrioli solvatur, & Solutio exhalet ad Siccitatem, Pulvis qui in fundo manet ablutus flavescit, & *Turbith Minerale* sive *Præcipitatus flavus* appellatur. Hoc est celebre illud Pharmacum, ad Luem Gallicam, cautâ Manu adhibitum, ferè præstantissimum. Minori Dosi Salivationem, majori Vomitus & Catharsin movet; paulo mitius est Præcipitato rubro. Prudentissimus D. Sydenhamus inter pauca Medicamenta Chemica quibus usus est, hoc ipsum admisit.

§. 35. Si Mercurius vivus cum quadam Copiâ Vitrioli calcinati, Nitri & Salis communis mistus sublimetur, habetur Substantia alba, ponderosa, quæ a Chemicis nomen habuit *Mercurii Sublimati Corrosivi*. Et reverà summum est Venenum, & acerrimè corrodit quamcunque Corporis Partem attingit; ideòque ad Ulcera inveterata depuranda, Carnemque tumidam compescendam, eo, quemadmodum aliis Causticis, utuntur Chirurghi. Si parcâ admodum copiâ in Aquâ multâ dissolvatur, Cosmeticum potentissimum exhibet, quod omnem Cutis Turpitudinem, Pustulas,

Ru-



Ruborem & Vermiculos tollit, Nitoremque ei pulchrum conciliat. Ab ejus usu tamèn nimis frequenti cavendum est, Salivationem enim, aut Nervorum Morbos summè pertimescendos, Dentiumque Cariem, Pulchritudinis loco, sæpenumerò adfert.

## §. 36.

Si in Stomachum ingeratur, horrenda parit Symptomata, totamque Corporis Oeconomiam perturbat. Præter Saporem in Ore acerrimum, Labiorumquè fortè, Linguæ & Faucium Inflammationem; statim ac in Ventriculum descendit, excitat Tormina ingentia, Nauseas, Vomitus Mucosi cujusdam sæpè cum Sanguine misti, Calorem Sitimque intolerabilem; atque ubi in Intestina propellitur, Sequuntur Distentio Abdominis, Dolores Iliaci, Colici atroces, Dysenteria, Sudores frigidi, Tremores, Convulsiones, Syncope, atque deindè Mors. Ab hisce Symptomatibus certò colligere possumus, ex Mercurio Sublimato corrosivo assumpto veram Ventriculi & Intestinorum Inflammationem exortam esse, quæ in Gangrænam abiit: clariùsque adhuc patet a dissectis Cadaveribus Animalium hoc Veneno Interfectorum, quorum Intestina Sanie & Livore Gangrænosè obducta apparuère.

## §. 37.

Causa omnis hujus diræ Actionis sunt duo Corpora ferè innoxia, vi ignis ad se mutuò compacta. Sal Marinus quotidianâ teste Experimentiâ admodum mitis est. Argentum Vivum crudum nullâ Malignâ Qualitate præditum esse, jam a longo tempore fuit notum: non solummodò haustum Intestina non corrodit, sed diù latere potest ubivis in Corpore sine ullo ejus Erosionis signo, uti suis oculis vidit Celeberrimus D. Mead, in Cadavere cujusdam Lue Gallicâ infecti. Et quod Nitrum & Vitriolum Mercurii Sublimati Compositionem non ingrediantur, indè apparet, quòd si unà cum iis sine Sale Marino sublimetur Argentum vivum, non fiat corrosivum, Ponderis incrementum non accipiat.

## §. 38.

Hoc Venenum inter Caustica recenseri debet, eosdemque cum aliis edit Effectus. Caustico Corpori applicato, oriuntur Erosio & Motus, iis, quæ in Metallo Menstruo suo intincto fiunt, haud

haud abfimiles, ubi Menstrui Particulæ in Corpus vi quâdam intrò trahuntur, quâ disjunguntur ejus Partes. In Sublimati confectioe Sal marinus sublimatus abit in Spiritum corrosivum, qui Mercurii Particulis fortitèr adhærens ab iis Pondus accipit, adeòque majori vi Corpus quod corrodit ingreditur, citiùsque dissolvit. Eadem est Ratio effectuum ex Combinationibus variis Mercurii cum Spiritu Nitri vel Oleo Vitrioli, de quibus jam dixi, quæ omnes Causticâ vi agunt. Corrosi autèm citò Vasculis in Corpore Vivo, Sequuntur Dolor maximus, Partis Contractio, Inflammatio, Calor ingens, & plerumque Gangræna: Si hæc in Ventriculo & Intestinis contingunt, orientur prætereà Nauseæ, Vomitus, Tormina, Dysenteria, aliaque his Partibus propria Symptomata. Medicamenta Vomitoria ut plurimum & Purgantia Venticulum & Intestina stimulant lenitèr atque irritant, si mediocris assumatur Dosis: ubi autèm eadem majori Quantitate adhibentur, rodunt, inflammant, urunt, ulcerant, atque Venena fiunt acria. Causticorum Pharmacorum Applicationis effectus facilè intelligetur è *Doctrinâ* de Stimulis *Belliniana*. Usus Mercurii Sublimati corrosivi præcipuus est, ut ex eo conficiatur Mercurius dulcis.

§. 39.

*Mercurius igitur dulcis* est Mercurius Sublimatus corrosivus iterùm cum Argenti Vivi quantâ secum auferre potest copiâ sublimatus. Hic mitescit Venenum illud acerrimum, benignumque admodum præbet Medicamentum. Quod sic fieri facilè concipi potest, uti si Acre aliquod Liquori blando Oleoso immittatur, atque ei benè permisceatur, pro quantitate Olei Liquor minùs erit acer. Mercurius Sublimatus est acerrimum Corpus Salinum, Mercurius Vivus est Liquor blandissimus; si hæc duo intimè invicèm misceantur, nascetur indè Substantia neque liquida neque solida, verùm pinguis, Saponacea, quæ pro variâ alterutrius in Misturâ copiâ vel mitior vel fortior erit. Sublimatione ejus repetitâ, quoniam Mercurius citùs quàm Sales adscendit, blandior adhuc evadit, plurimo Sale Scorix formâ in fundo relicto. Atque hoc est totum Processus hujus Mysterium, in quo nihil aliud fit, quàm in Sapone volatili conficiendo: eodemque modo mitescunt & aliæ Argenti vivi Præparationes.

C


§. 40.

§. 40. Hinc Mercurius dulcis assumptus Venter & Intestina leviter tantum pungit, unde Vomitus aliquando sæpius autem Alvum movet. Si vero Intestina muniuntur contra levem ejus Stimulum, vel vi Naturæ, vel alterius Medicamenti, tunc unâ cum Chylo defertur in Sanguinem; ubi eadem ferè quæ Mercurius crudus efficit, Sanguinem nempe dissolvit, Secretiones accelerat, Ptyalismum ciet.

§. 41. Hoc Medicamento benignissimo in Medicinâ faciendâ carere vix possimus. Cum Salivationem benè excitet, ad Luem Veneream, omnesque alios Morbos qui talem Evacuationem postulant depellendos, ut plurimum sufficiat. Majori dosi Alvum, uti dixi, lenissime purgat, hocque indè habetur commodi, quòd postea non adstringat. Dissolvit Humores, atque deinde per Inferiora ducit. Undè in Obstructionibus referendis quibuscunque, Spissis attenuandis, noxiisque Humoribus expurgandis summoperè valet. Ad Calculum præcavendum supra omnia Medicamenta diuretica laudat Cl. D. Mead, referatis nimirum a nobili Pharmaco tenuium vasorum Obstructionibus, & prohibita, quæ has plerumque sequitur, salsorum Humorum cohesione. In Unguentis ad Scabiem, aliaque Cutis Vitia adhibetur. Ad infinitos ferè Morbos sanandos conducit. Et Usus Mercurii internus ubi Salibus adhæret Dulcis redditus, multò tutior est externo Crudi, eademque nervoso Systemati Mala nunquam inducit, quoniam diù in Corpore manere non potest, verùm ubique stimulat ad Exitum.

§. 42. Sunt & aliæ innumeræ ferè Præparaciones Mercurii variis Salibus aliisque Rebus admisti & uniti, quædam Venenatæ admodum, aliæ verò mitiores; usitatiores autem hoc loco attigisse mihi sufficit.

F I N I S.



... of the ...  
... of the ...  
... of the ...

... of the ...  
... of the ...  
... of the ...  
... of the ...  
... of the ...

... of the ...  
... of the ...  
... of the ...